



1. Burzmanni f. J. C. f. diff.
 de Lucta pœnitentium 1736.
2. Reiss, J. f. diff. de Lucta
 pœnitentium 1738
3. Burzmanni f. J. C. f. diff.
 de conformatione cum mundo
 vita aida. 1738
4. Heller f. M. f. diff. de voc
 f. N. R. I. 1696.
5. Mentzeri f. B. f. diff. de
 corpore christi in cruce
 extus. 1738.

10 F

MEDITATIONES THEOLOGICÆ
QVIBVS
**SVMMA RELIGIONIS
CHRISTIANAE**
BREVITER ET PERSPICVE TRADITVR
AVCTORE
MEDICO CHRISTIANO
F. H.

MDCCXXXVIII.



SUMMA RELIGIONIS CHRISTIANAE TRADITIONIS ET PERSICAIE TRADITAE MEDICO CHRISTIANO



MEDITATIONES THEOLOGICÆ.

Ingens & ineffabile cordis gaudium in christiana religione latet, quia per hanc ad veram immensi amoris DEI Patris & eius Filii, in mundum missi cognitionem, in qua spes vitæ æternæ residet, perducimur.

Firmum & inconcussum religionis christianæ fundamentum est, quod Christus sit verus Deus.

Quicunque fuit in principio rerum creatarum, per quem omnia facta sunt, qui omnia verbo suo sustentat, & qui actualis est vita, omnium virium fons, lux mundi & omnium hominum, sapientia & veritas, immensus amor & bonitas, dominus cœli & terræ, vivorum & mortuorum alpha & omega, rex regum, ab omnibus sanctis &

angelis adorandus, ille est verus DEVS: atqui hæc omnia proprie de Christo, per prophetas, evangelistas & apostolos in veteri & novo testamento unanimi consensu dicuntur & prædicantur, & per revelationem traduntur; ipsaque opera Christi, ut mortuorum resuscitatio, conversio aquæ in vinum, morborum insanabilium curatio, ex pauxillo panis multorum millium cibatio, evidenter satis divinam naturam testantur. Ergo.

Homo est spiritus immortalis, intellectu, desiderio & libera agendi voluntate constans, in prima creatione ad imaginem DEI conditus, omnipotente & plane mirabili divina virtute, cum anima elementari perfectioris animalis corporis vivi & sensitivi arte unitus, ut sensuum beneficio miranda DEI opera cognoscendo, eum celebraret, DEO suæ existentiæ auctori crederet & obediret, & hac ratione in æternum ejus bonitate & gloria gauderet.

137 Evidem primus homo, animi & corporis viribus integer conditus est; per insidias tamen diaconi seductus, propter incredulitatem, superbiam & inobedientiam, DEVVM ceu superiorē, a quo unice eius salus dependebat, contempsit; & hoc modo imaginem divinam amisit, quare ob hunc contem-

temum, pœnam æternæ mortis animo & corpore subire debuit.

Post lapsum homo, vera DEI cognitione privatus, eius voluntati, quæ in reverentia, amore & fiducia in eum consistit, semper resistit, & mere animalis & carnalis est redditus, adeo, ut cupiditates cum brutis animantibus habeat communes, quæ in sensibilibus & visibilibus fundatae sunt; animus vero nunquam tranquillus requiescit, sed perpetuo inquietis & inordinatis affectionibus agitatur.

CHRISTVS IESVS verus DEVIS & homo, pro immensa erga lapsum genus humanum misericordia, a DEO Patre missus, vita & morte sua omnia ea perfecte præsttit, ad quæ primi parentes obligati erant, & non modo sui abnegatione, firma in DEVIM patrem fiducia, sed & perfecta ad mortem usque obedientia, quam pro contemptu passus est, voluntati patris satisfecit; & hac ratione gratiam & unionem cum DEO misero homini recuperavit.

In CHRISTO IESV Θεονθεωπω unica nostra salus & spes est; is enim factus est nostra sapientia, dum evangelio & explanatione legis, voluntatem DEI, ad nostram salutem recuperandam perspicue nobis revelavit: nostra justitia, propter perfectam, pro nobis præstitam, usque ad mortem obedientiam.

qua patrem nobis reconciliavit: nostra sanctitas,
quia operatione spiritus sancti per verbum suum
nos subinde renovat, & fidem in DEVUM, & amo-
rem in proximum accedit: nostra redemptio, quia
morte & resurrectione ut & ascensione in cœlum
non modo a poena peccati, morte æterna & po-
tentia diaboli nos liberat, sed etiam plenaria pecca-
torum remissione, nobis vitam spiritualem & æter-
nam largitur.

Quicunque in Christum, mediatorem nostrum,
verum DEVUM & hominem, mortuum pro nobis
& resuscitatum credit, & summa hæc beneficia,
ex mera gratia protecta, ferio in corde suo perpen-
dit, vere agnoscit, & firma fiducia, cum laude &
gratiarum actione & amore, sibi ceu propria appli-
cat, atque Christi exemplum in humilitate, obedi-
entia & patientia sequi contendit; illi omnia pec-
cata remissa sunt, & poena sublata, & regenitus ha-
betur, & filius & hæres DEI factus est.

Fides & amor in Christum, per sacramenta ceu
firma sigilla & symbola a Christo ipso instituta, ba-
ptismum nempe & sacram coenam valde corrobo-
ratur, & peccatorum remissio ac salutis nostræ cer-
titudo inde confirmatur; quia actu regenerationis,
Christi justitiam & sanctitatem induimus & pro-
pri-

priam nobis facimus. In sacra cœna unio fit nostra cum Christo & ejus merito, cum corpore pro nobis in mortem dato, & sanguine in remissionem peccatorum fuso pascimur.

Dulcis doctrina euangelica est aptissimum obedientiæ atque amoris erga DEVM & hominem incentivum remedium. Est enim sanæ rationi insitum: eum esse colendum, atque amandum, a quo insignia ex mera gratia accipimus beneficia.

Quandocunque igitur summa DEI beneficia, in regno naturæ & gratiæ nobis continuo exhibita, attente & diligenter meditamus; non modo grata & memori mente ea recolimus & laudibus celebramus, sed & ad reciprocum DEI amorem excitamus.

Is vere ac sincere amat DEVM, qui diuinæ voluntati, quæ in lege naturæ, decalogo & saluberrimis Christi & apostolorum præceptis continetur, se conformem reddit. Et cum immutabilis hæc divina sit voluntas, vt omnium hominum salutem querat ac promoveat; vtique is vere DEI voluntati se accommodat, qui publicam salutem curæ cordique habet, & socium amat secundum ordinem, quo se ipse amare debet.

Perfectissimum vitæ sanctæ & quæ DEO grata est,

est, exemplum ipse Christus nobis reliquit, maximo pere imitandum. Nam sicut ipse ex immensa misericordia & amore acerbam mortem pro nobis passus est, ad salutem nostram æternam recuperandam; ita & nos miseriæ proximi omnibus modis succurrere debemus: Christus fuit humilis & obediens suo patri; ita & nos diuinæ voluntati in omnibus oportet submittere: fuit erga nos benignus, mitis, quam indolem & nos induere debemus: terrena & visibilia contempsit; quare & nos in iis fiduciam minime ponere debemus: adversa tulit secundum voluntatem DEI, summa patientia; similiter & nos facere decet: tentationes satanæ efficacia verbi divini repulit; quod ergo & nos imitemur.

Licet bona amoris opera hac in vita propter inhærens peccatum sint imperfecta; nihilo tamen minus, quando ex fidei, grato ac obedienti erga DEV' animo proveniunt, atque in proximi salutem & DEI gloriam vergunt: ipsi placent, & ad ostendendam fidem & proximi ædificationem sunt necessaria & tam in hac quam altera vita magnam promissionem & remunerationem habent.

Duplex in homine regenito, quamdiu in carne est, vita observatur; altera spiritualis, tanquam fru-

fructus restitutæ imaginis divinæ, per firmam in Iesum Christum cruci affixum & resuscitatum fiduci-am, novamque obedientiam & caritatem proximi se manifestans: altera animalis, quæ ex carne remanente, in qua reliquiæ peccati originalis adhuc resident, per varia desideria & passiones in terrena & visibilia, brutis etiam communes, se exserunt, proficiscitur.

Præcipuum in hac vita christianorum est officium, ut peccatum inhærens & imperfectionem suam quotidie agnoscant, & per gratiam spiritus sancti contra carnis desideria continenter pugnant, atque assiduis precibus, in intercessione Christi, qui residet in cœlis ad dextram patris, fundatis, assistentiam spiritus sancti constantem & lætabundam efflagitent, & quotidie ob inhærens peccatum, remissionem inobedientiæ quærant.

Ineffabile solatium est, quod DEVS ex liberri-ma gratiæ voluntate fideles in Christo, propter præviā fidem & observantiam evangelii, ab æter-no elegerit, ceu filios & suæ immentiæ gloriae hæ-redes, decreto immutabili.

Criterium & character nostræ electionis est ad-sistentia & operatio spiritus sancti in corde nostro, qua omnia, quæ voluntati DEI adversa sunt, ve-

B

hemen-

hementer aspernamur & odio habemus, calamitates patienti animo toleramus, & firma in DEVUM fiducia, atque sincero proximi amore, fidem in nobis vivam & renovationem manifestamus.

DEVS, qui immenitus substancialis amor & gratia est, nullius hominis, tanquam nobilissimæ creaturæ, vult vel intendit damnum, multo minus extremum interitum, sed omnes vere vult felices & salvos reddere, modo serio velint ; minime vero animum ejus, qui spiritualis & liberæ est essentiæ, vult ad fidem & obsequium cogere, sed tantum ducere & movere ; siquidem, nisi voluntas esset libera, omnia præcepta, officia, poenæ & præmia, a DEO constituta, forent frustranea.

Variis modis trahit & dicit DEVS hominem ad salutem suam amplectendam : 1) naturæ lumine post lapsum relicto, ex ipsis rebus creatis & ex sapiente, qua gubernantur cura & providentia, DEI existentiam, omnipotentiam & bonitatem potest cognoscere. 2) Conscientia male factorum hominem convincens, mentem inquietam, anxiam & tristem reddit 3) desiderium infinitæ perfectionis, hominum animis est a natura insitum, unde in rebus finitis nunquam acquiescunt 4) quando in summam calamitatem & miseriam conjiciuntur, tremunt & ab ente supremo auxilium expectunt

tunt & efflagitant; quapropter recte infertur: nullum atheum revera talem sive theoreticum dari, nisi per abusum rationis & superbæ mentis ostentationem seu stultitiam. Denique fama revelati verbi divini, quod expetere & legere poterant, tanquam medium felicitatis æternæ consequendæ, ad omnes gentes pervenit.

Quicunque igitur hæc genuina salutis media pædagogica præfracte spernit nec attendit, neque verbum DEI, cum quo tamen convictio veritatis, & spiritus sancti gratia indivulso nexu conjuncta est, vult audire, nec legere, multo minus meditari, vel si impulsus & motus bonos & salutares persentit, iis obstinate & constanter resistit: is perverfa & prava voluntate se ipsum privat salute & gratia divina sibique ipse interitum parat.

Evidem infinitus & omniscius DEVS ab æterno in hominibus mentis superbiam, libertatis abusum, & obstiriatam nulloque modo corrigibilem resistentiam prævidit: exinde tamen minime sequitur, ipsum ab æterno quosdam ad interitum prædestinasse; utpote Christus pro omnibus hominibus lapsis, universalem medicinam, videlicet meritum suum, & perfectissimam præstitam obedientiam paravit, quam tantummodo agnosce-re & amplecti debent.

Fatendum nihilominus est, animi malitiam, vim peccandi & gratiæ divinæ resistendi in hominibus gradu multum differre; quæ cum semine, quod parentum naturam & imaginem refert, in liberos propagatur: quæ, si in majori gradu est, & prava accedit educatio, consuetudo & consortium cum impiis, animus ita depravari potest, ut ægerime medicinam recipiat.

Quemadmodum Psalmo 37. v. 6. piorum semen benedictum, & Psalmo 112. v. 2. eorum, qui præceptis divinis obedientes sunt, semen benedictum & felicissimum dicitur: ita de impiorum & malitiosorum semine hoc minime prædicari posse, tristis experientia satis abundeque manifestat.

Sicuti morbi contumaces chronici a parentibus in liberos transeunt, & difficulter sanationem recipient: ita etiam perversi animi mores & affectiones deterrimæ, maxime si in habitum abierint, atque in utroque parente radices egerint, in liberos transferuntur; & hoc modo, teste scriptura, sæpenumero poenæ liberorum ab ipsis parentibus originem trahunt; adeoque clare appetet, animam humanam cum corpore per traducem propagari.

Magnum beneficium christianorum in morte latet, qua vinculum spiritus cum corpore animali,
pro-

propter motus vitales cessantes, dissolvitur, ut ille
a carne, qua vis & efficacia ejus multum labefac-
tatur, liberatus & sui juris redditus, melius in cœlis
cum Christo uniri possit.

Resurrectio corporis mortui insigne quoque est
beneficium, ut illud perfectius rursus cum anima u-
nitum pariter æterno gaudio fruatur.

Corporis humani mortui resurrectio non adeo
repugnat rationi. Sicut enim ex semine in terra,
putrefacto planta vel arbor, a qua desumptum est,
de novo producitur; quin imo ipse homo, qui ex
corpore & animo constat, ex semine parentum, qua-
si ex puncto producitur: ita multo minus dubitan-
dum est, ob unionem corporis nostri cum Christo,
quæ maxime fit in sacra cœna, & ob promissio-
nem ab ipso, qui summa veritas est, factam, omni-
potente omnemque captum superante ejus virtute,
corpus nostrum, & quidem longe perfectius, ali-
quando esse resurrectum.

Beata vita non modo in amica & familiari cum
Christo, angelis & omnibus sanctis communione
& conversatione sed potissimum in DEI visione, id
est, in majestatis divinæ, ratione immensæ ejus po-
tentia, sapientia & infinita bonitatis, intima contem-
platione versabitur; unde ineffabile & sempiternum

gaudium nominisque divini celebratio exoritur.

Vti in hac vita gradus sanctificationis in fidelibus dantur: ita extra dubium videtur, quod etiam gradus & status gloriae divinae in cœlis dentur.

Processus, quem instituet Christus in extremo iudicio, evidenter demonstrat, quosnam vita beata dignos vel indignos habeat & aestimet, dum quidem non propter, sed secundum opera amoris, tanquam fidei vivæ fructus, sine quibus nulla vera, quæ cor & animum mutat, sed inanis, sterilis & imaginaria fides est, vitam æternam & beatam tribuet; & hæc est ratio, quare Christus, quem etiam sequuntur apostoli, in vita & doctrina sua, tam graviter, tam serio, tamque frequenter amorem inculcaverit.

Veritates in hisce thesibus hactenus propositæ ita sunt comparatae, ut sanæ & probe instructæ rationi minime adversentur, sed potissimum ipsi conformes sint, licet quædam ex iis intellectum humanum transcendant, de quibus tamen ob divinam revelationem minime dubitare licet.

Sicut enim omnes creaturæ ab ente infinito fini-

finitas & circumscriptas habent agendi vires : ita etiam anima nostra intellectualis , præsertim sub involucro corporis detenta, intellectum habet valde limitatum. Nam uti oculus, etiam telecopio armatus, ad certam tantum distantiam objecta videt : ita etiam intellectus suos habet cognoscendi terminos ; siquidem nec in rebus naturalibus, quid in essentia sua sol, quid corpus simplex, quid vis motrix, qua unum corpus in alterum agit, quid vis gravitatis, elastica, virtus in magnete attractrix, declinans, vel quænam specifica partium, diversa corpora constituentium mixtio & crosis sit, cognoscere possumus: multo minus, quæ vis in semine fit propagativa, quæ animæ sensitivæ in brutis , vel spiritus essentia, & quomodo hic cum corpore uniatur & in illud agat , comprehendimus ; minime vero decretum, ordinem & nexum , quo DEVS creavit mundum & ipsum æque ac eclesiam gubernat omnibusque rebus præsens sit, & quomodo IESVS cum humana natura unitus, & ex virgine natus sit, penetramus ; quæ omnia intellectus nostri imbecillitatem, præsertim in rebus divinis, abunde demonstrant.

Benignissimus DEVS ad nostram salutem & felicitatem obtinendam , non sublimem philoso-
phan-

phandi rationem, nec profundam rerum intelligentiam desiderat, sed tantummodo animum simplicem, humilem, fiduciæ, obedientiæ & amoris plenum, ac gratum, propter omne bonum, quod a DEO possidet, postulat.


Hæc sapientia homini præcipue scitu necessaria est, ut paulo exquisitus cognoscat, quod sua natura a se, in se & per se, nil sit nisi terra, nihil habeat, nihil possit vel sciatur, sed suam existentiam, vitam, conservationem, omnesque corporis & animi vires & omne bonum, a solo DEO per Christum & in Christo ex mera gratia possideat.

Propter innumera igitur, quæ ex mera gratia in animam spiritualem & corpus animale proficiuntur beneficiorum genera, benignissimum Deum, summum illum Jehova, Dominum cæli & terræ, qui a se, in se & per se semper est, fuit & erit idem immutabilis, adorare, laudare, eius auxilium invocare, ipsum in misericordia & amore sequi, reverentia, firma fiducia & obedientia venerari & nomen ejus operaque mirabilia læta, hilari & grato animo extollere, celebrare, uti angeli & sancti in cælis, ita nos in terris debemus. Sic enim voluntatem DEI perficimus & in æternum cum ipso vivimus & exultamus.

01 A 6587



11/2.58





10

MEDITATIONES THEOLOGICÆ
QVIBVS
**SVMMA RELIGIONIS
CHRISTIANAE**
BREVITER ET PERSPICUE TRADITVR
AVCTORE
MEDICO CHRISTIANO
F. H.

MDCCXXXVIII.